

CASUS XV. Justinus Canonicus præbendam suam resignavit Joanni filio, quem ante suam ordinationem susceperat ex matrimonio legitimo. Estne valida & canonica resignatio?

ꝑ. Juxta sacros Canones pater non potest resignare Beneficium suum filio, ne Beneficia fiant hæreditaria; quapropter Justinus resignatio nec valida est nec canonica. Multo adhuc rigorosiores sunt Canones respectu filiorum illegitimorum. Juxta plerosque Canonistas ne quidem nepos potest possidere Beneficium prius possessum ab avo suo. *Pontas.*

CASUS XVI. Flavius Prior vult resignare Beneficium suum patri suo, qui defuncta uxore statum clericalem amplexus est. Potestne id fieri canonice?

ꝑ. Non reperitur Canon, qui ejusmodi resignationem prohibeat; quod sufficit, ut pro canonica admitti possit. Aliunde ejusmodi resignationi imputari non potest, ac si foret successione hæreditariam in Beneficiis; quia parentes non nisi sub aliqua ratione succedunt liberis suis, idque contra ordinarium rerum cursum, & votum suum, quo liberos suos sibi superflites ac bonorum paternorum hæredes cupiunt. *Pontas.*

CASUS XVII. Capistranus gravi infirmitate correptus resignat Beneficium suum Joanni fratri suo cum pacto regrediendi in Beneficium, si denuo convalescit. An non commisit confidentiam?

ꝑ. Tam resignans quam resignatarius confidentiæ se reos constituerunt. Resignans vi primæ suæ provisionis non potest regredi in Beneficium, postquam per triennium ejusdem titulum cesserat resignatario, nec disponere de redditibus Beneficii; sed tenetur eos restituere pauperibus, vel ecclesiæ sui tituli. *De Lamet.*

CASUS XVIII. Titius facit resignationem clandestinam Beneficii cujusdam, ut duorum, quæ sunt inter se incompatibilia, possit percipere redditus. Num peccat?

ꝑ. Resignatio hæc criminosa est, & non absque ratione suspecta de confidentia. Alterum horum Beneficiorum tempore optionis elapso titulo devoluti ab alio impetrari potest. *Fromageau.*

CASUS XIX. Alanus Clericus sacerdos falso de variis criminibus accusatus per litteras Principis exulare jubetur, nec obtinere potest sententiam definitivam in causa sua; eo quod pars diversa valde potens eum spoliare intendat duobus Beneficiis, quæ legitime possidet. Poteritne iisdem renunciare per resignationem, ut ab injusta vexa sese liberet?

ꝑ. Po-

ꝑ. Potest quidem resignare, nullatenus autem subscribere poterit absque peccato contractui simoniaco, qui ipsi proponi posset ut medium ab ulterioribus persecutionibus & iniqua vexa immunem se præstandi. Judices, qui ipsius innocentiam declarare recusant, gravissime coram Deo rei sunt; tenenturque de omnibus damnis ex sua desidia in Alanum redundantibus, & deinceps redandaturis. *Fromageau.*

CASUS XX. Solmius parochus, qui per annos viginti Beneficio suo cum laude deservierat, illud resignare cogitat sub reservata sibi moderata pensione; etsi bona patrimonialia habeat, ex quibus decenter sustentari possit. Potestne tuta conscientia hoc modo resignare?

ꝑ. Cum Beneficium ultra quindecim annos administraverit, potest resignare sub conditione præstandæ sibi pensionis; licet ex bonis patrimonialibus commode vivere possit. *Fromageau.*

CASUS XXI. Julianus nepos Bruti Canonici cathedralis, quem subita apoplexia omni sensuum usu destituerat, fingit variis artibus, resignationem præbendæ a Bruto sibi factam, & exhibet Episcopo falsitatis conscio provisionem Beneficii in Curia Romana obtentam. Potestne Episcopus ipsi concedere vidimatorias ad capiendam possessionem?

ꝑ. Absolute tenetur Episcopus Julianum repellere, & Clericum a se provisum in possessionem Beneficii immittere. Et si forte Julianus autoritate civili sussultus tentaret sese intrudere, Episcopus cum toto Capitulo deberet se opponere. Ipse Julianus in conscientia tenetur abstinere ab omni lite intentanda proviso ab Episcopo, nec sacramentaliter absolvi potest, quamdiu judicio cum eodem contendit. Nullus advocatus, cui de facti veritate constat, potest falsa conscientia tueri causam Juliani; & si hic ipsius patrocinio ac directione injustam causam suam evicerit, advocatus tenebitur ad omnes expensas & damna parti innocenti illata. Idem dicendum de illis omnibus, qui cognita rei veritate intruso Juliano cooperarentur ad adipiscendam præbendam. *De Lamet.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Canonicus. Parochia. Permutatio. Provisio. Simonia.*

RESTITUTIO.

I. Juxta D. Thomam restituere idem est ac reddere alicui possessionem & fructum rerum, quæ ipsius sunt, & tamen non possidat. *Restitutio* igitur est actus justitiæ commuta-

Q 2

mutatiuæ, quo cuique redditur, quod suum est, siue id ab alio possessum fuerit contra voluntatem veri domini, ut in casu furti, siue cum consensu illius, ut fit in mutuo & deposito. Verum quia simplex ac nuda restitutio non semper securam reddit conscientiam, cum & damna reparanda sint per injustam privationem rei alteri illata, Theologi definiunt restitutionem, quod fit rei acceptæ redditio vel damni illati compensatio.

2. Restitutio est de necessitate salutis; potestque hoc præceptum considerari ut *affirmativum*, in quantum præcipit redditionem rei detentæ, & ut *negativum*, quatenus prohibet retentionem rei incerto ac invito domino.

3. Qui peccavit contra iustitiam erga proximum, semper tenetur ad restitutionem. Si plures sint complices furti, vel cujuscumque actionis contra iustitiam, ad restitutionem omnes tenentur in solidum.

4. Injustus detentor rei alienæ primus obligatur ad restitutionem, & post hunc omnes ii, qui sese participes reddiderunt damni ac iniustitiæ alteri illatæ, siue id factum fuerit iussione, siue consilio, siue alia quacumque demum cooperatione. Dum res restituenda non amplius extat in natura, ejusdem valor restitui debet. Restitutio facienda est sine dilatione, & quamprimum fieri potest, nisi obstet causa iusta ac maximi momenti. Si nesciatur, cuiam facienda sit restitutio, ea fieri debet pauperibus vel in alias pias causas, posito quod nulla amplius superfit spes detegendi dominum rei.

5. Datur obligatio non solum restituendi iniuste retenta, verum etiam refarciendi omnia damna, quæ proprietarius ex iniusta retentione passus, aut imposterum passurus est. Sic si Joannes Jacobo opifici abtulit instrumenta artis necessaria ad opus, eumque hoc modo in eum statum conjecit, ut per mensem non potuerit lucrari sustentationem suam, Joannes non solum tenetur Jacobo restituere instrumenta artis, sed etiam omne lucrum, quod intra hoc tempus facere potuisset, si instrumenta necessaria ad manum fuissent.

6. Eadem obligatio datur reparandi bona famæ iniuste proximo ablata per calumniam, mendacium, detractionem, maledicentiam, aut alio quovis injusto modo.

7. Conventus generalis Cleri Gallicani anno 1700. damnavit sequentes propositiones circa hanc materiam. PROPOSITIO I. *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furtiva, quantumcumque sit magna summa totalis.* CENSURA: *Propositio hæc falsa est, pernicio-*

ciosa, approbans furtiva etiam insignia. PROPOSITIO II. *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* PROPOSITIO III. *Licet aliquis, cui donatio quædam facta est, certo sciat, eam sibi factam esse studiose, animo frustrandi ac fraudandi creditores, non tamen tenetur ad restitutionem; nisi ipsius summe facta fuerit donatio, vel nisi alio quovis modo ad eam induxerit donantem.* CENSURA: *Propositiones istæ falsæ sunt, temerariæ, faventes furtis & fraudibus, ac iustitiæ legibus contrariæ.*

8. Ex omnibus obligationibus, quæ Christianos stringunt, quasque lex divina iisdem imponit, obligatio restitutionis fors minus cæteris omnibus observatur; & tamen hujus neglectus omnium maximum salutis æternæ est obstaculum.

CASUS I. Romulus equum vendidit Servio, quem tamen non statim tradidit. Interea ex culpa venditoris malum quid accidit equo, ex quo valor ejusdem plurimum diminutus est; vel perit casu fortuito; vel auctoritate judicis interceptus ac fisco adjudicatus est. Teneturne venditor indemnem servare emptorem in primo casu, si illius culpa tantum levis est? Teneturne etiam in secundo ac tertio casu?

2. In primo casu Romulus in conscientia tenetur indemnem servare Servium: nam regulariter loquendo venditor tenetur ad reparationem damni rei venditæ supervenientis siue ex culpa lata, siue ex culpa levi. *Custodiam autem venditor talem præstare debet, ait L. Custodiam. 2 ff. Lib. 18. Tit. 6. quam præstant hi, quibus res commodata est, ut diligentiam præstet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet.* In secundo casu Romulus ad idem tenetur, si equus sub conditione fuit venditus, & casus fortuitus evenit ante adimpletionem conditionis; quia contractus sub conditione de futuro initus manet in suspensio, & non censetur omnino consummatus, nisi post impletam conditionem. Idem dicendum quoad tertium si scilicet equus ante traditionem confiscaretur. Observandum hic, quod si res venditæ sunt ejusmodi naturæ, ut non nisi secundum numerum, pondus & mensuram vendantur, & summam venderentur sine numeratione, ponderatione & mensuratione pro summa determinata; tunc solus emptor teneretur de casibus fortuitis eventibus, antequam res ponderatæ, numeratæ & mensuratæ fuerint. Verum si res ab emptore ac venditore sunt mensuratæ, ponderatæ ac numeratæ, & non fuerint emptæ summam, sed quoad libras, mensuras, aut determinatum numerum, venditor tenetur

de casibus fortuitis, quibus res perirent, aut deteriorarentur. *Pontas.*

CASUS II. Hubertus emit a Marco decem vini dolia cum pacto expr. sso solvendi pretium post mensem, numeratis pro quolibet dolio 75. florenis. Jam Marcus persolvendam ab Huberto pecuniæ summam conditio tempore se fore accepturum ratus, alium emptionis contractum inicit; sed cum Hubertus suæ promissioni defuerit, eum perficere non potuit, sicque damnum passus est 500. florenorum, quos lucrari potuisset, si solvisset Hubertus. Teneturne Hubertus Marco reparare damnum mora solutionis illatum?

ꝑ. Juxta legem *Venditor.* fin. ff. Lib. 18. tit. 6. Hubertus duntaxat obligatur ad solvendum pretium empti vini, & in rigore ad legitimam interesse hujus summæ, non vero ad damnum per dilationem solutionis illatum. *Pontas.*

Vide *Emptio.* cas. 1.

CASUS III. Ogierius negotiator in portu marino Paulo mercatori extraneo commendat Lucianum mercatorem Galiam, tantumque suasionibus suis efficit, ut Paulus credito & necdum numerata pecunia merces suas vendiderit Luciano, quem vel maxime solvendo esse affirmabat Ogierius. Tribus autem abhinc mensibus Lucianus omnia decoxit; ut Paulo de rebus venditis nihil profusus remanseris. Teneturne Ogierius Paulo ad reparationem hujus damni?

ꝑ. Si Ogierius non commisit ullam culpam, quæ ipsi possit ac debeat imputari, juxta leg. *Si Proxenetæ.* 2. ff. Lib. 50. Tit. 14. non tenetur ad reparationem damni. *Pontas.*

CASUS IV. Epiphanius bona fide possidet prædium jure hæreditario sibi relictum a Balduino malæ fidei possessore. An bona fides eximit illum saltem a restitutione fructuum, quos verus proprietarius prætendit una cum fundo, maxime si fructus illi non nisi per multum laborem ac industriam percepti fuerunt?

ꝑ. Hæredes possessorum malæ fidei tenentur ad eandem restitutionem, ad quam tenentur ii, quibus succedunt; quia hos repræsentant, eorumque locum ac vices occupant, juxta Leg. *Litigator.* 2. Cod. Lib. 7. Tit. 51. & Leg. *Vitia.* II. ibid. Tit. 32. Adeoque bona fides non liberat Epiphanium ab obligatione restituendi fructus perceptos; deductis tamen antea sumptibus ac expensis legitimis. Quod hic dicitur de rebus immobilibus, extendendum quoque est ad res mobiles fructificantes, ut sunt quædam animantia, v. g. equi, vaccæ, vervecis; imo & alia, quæ in communi-

cium veniunt, ut supellectilia omnis generis, quæ elocari solent. *Pontas.*

CASUS V. Bertulfus per quatuor annos possedit jugerum vineæ, cujus etiam fructus percepit; per sententiam judicis autem ex ejusdem possessione deicitur a Raymundo vero proprietario. Teneturne Bertulfus ad restitutionem fructuum, etiam ad eam non fuerit condemnatus a judice?

ꝑ. Si toto illo tempore possedit bona fide, non tenetur ad restitutionem fructuum. Si vero mala fide possedit jugerum vineæ, tenetur restituere omnes fructus, vel valorem eorum; idque legi positivæ ac juri naturali conforme est. *Pontas.*

CASUS VI. Hermannus emit domum, quam credidit esse venditoris, eamque bona fide possedit per biennium. At vero mota postmodum desuper lite, eaque ad annum extensa, possessione expulsus est, salvo jure recursus contra venditorem. Teneturne ad restituendum pretium locationis tertio hoc anno perceptum?

ꝑ. Tenetur omnino, & quidem a die litis contestatæ. Quilibet æquus judex tenetur ad hoc ipsum condemnare juxta Leg. *Litigator.* 2. Cod. Lib. 7. Tit. 51. *Pontas.*

CASUS VII. Aubertus & Jacobus hæredes sunt Arnoldi. Auberto decem abhinc annis peregre ad Indias profecto Jacobus sese immisit in possessionem totius hæreditatis, quam per biennium bona fide tenuit persuasissimus, Aubertum jam e visis excessisse. At ecce! comparet Aubertus ex Incis reversus, petens portionem hæreditatis suæ cum fructibus interea ex eadem perceptis. Teneturne Jacobus tanquam bonæ fidei possessor ad restitutionem fructuum?

ꝑ. Lex *Cohæredibus.* 17. Cod. Lib. 3. Tit. 36. ipsum obligat ad hanc restitutionem: *Cohæredibus, inquit, divisionem inter se facientibus, juri absentis & ignorantis minime derogari, ac pro indiviso portionem eam, quæ initio ipsius fuit, in omnibus communibus rebus eum retinere certissimum est. Unde portionem tuam cum redditibus arbitrio familiæ eriscundæ percipere potes, ex facta inter cohæredes divisione nullum præjudicium times.* Certum tamen est, quod in hoc & omnibus ejusmodi casibus deduci possint expensæ necessariæ in rem factæ. *Pontas.*

CASUS VIII. Aspasius bona fide possedit per quadriennium quatuor agri jugera titulo donationis sibi factæ; sed Romanus intentata ipsi desuper actione judiciali ipso tempore messis, dum jam dimidia segetum pars demessa erat,

eum ex possessione dejecit. Teneturne ad restitutionem fructuum eo anno perceptorum?

ꝑ. Alpius tenetur restituere una cum agro fructus necdum demptos tempore intentaræ actionis, ut constat ex Leg. *Si fructuarius*. 13. Lib. 7. Tit. 4. *Pontas*.

CASUS IX. Alcuinus a duobus vel tribus annis bona fide possidet duo jugera agrorum, quatuor jugera silvæ cædæ, & sex vaccas, quæ omnia ad Theogenem pertinent, ut uno abhinc mense certo compererat. Teneturne in foro conscientiæ etiam fructus situere toto possessionis tempore perceptos?

ꝑ. Dantur fructus naturales, quos fundus ex se ipso producit absque cultura aut humana industria, ut sunt silvæ, pascua, inhospita resqua &c. Item poma, pira, glandes, aliique fructus, qui ultro decidunt ex arboribus camporum vel viridariorum, nec aliam operam requirunt præter eam, quæ in iis colligendis ac percipiendis infumitur. Alii fructus dicuntur *industriales*, ut frumentum, vinum, lac & lana pecorum &c. quia hujusmodi fructus non produuntur, nisi terra magna cum industria colatur, & animalia in stabulo custodiantur, nutriantur, & conserventur. Qui possidet fructus naturales absque ullo titulo, vel ex titulo gratuito v. g. donationis, non acquirit eorum dominium per simplicem possessionem; qui vero eosdem possidet cum titulo oneroso, v. g. perceptos ex fundo empto, acquirit proprietatem eorum, quamdiu possessor est bonæ fidei; cessante autem bona fide, non potest fructus facere suos, quia eorum amittit dominium. His præsuppositis, si Alcuinus res in casu recensitas possidet absque titulo, non acquirit dominium silvæ cædæ; quia ejusmodi fructus sunt mere naturales. Si vero titulo emptionis possidet, acquirit verum dominium. Si tamen bona fides cessasset ante perceptionem fructuum ex silva cædua, teneretur fructus hosce una cum fundo restituere Theogeni: juxta legem enim *fructus pendentes pars fundi videntur*. Quod attinet ad reliquos fructus, scilicet *industriales*, si adhuc extent in natura, & Alcuinus eos bona fide non possederit per integrum triennium, tutius ac probabilius dicitur, eum absolutum ac irrevocabile dominium nunquam æquifuisse, tenerique ad restitutionem fructuum ab eo tempore, quo bona fides cessavit. Posito autem, quod fructus jam jam consumpsisset, teneretur saltem restituere id, ex quo factus est locupletior. Id probari potest ex lege, *Certum est*. 22. Cod. Lib. 3. Tit. 32. ubi discrimen inter malæ ac bonæ fidei possessorem in eo ponitur; quod ille teneatur restituere

tuere omnes fructus, consumptos & non consumptos; hic vero solum extantes adhuc: *Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bonæ fidei vero extantes: post litis autem contestationem universos*. Idem decidit Justinianus §. *Si quis*. 35. Instit. Lib. 2. Tit. 1. dum ait, fructus a bonæ fidei possessore ex fundo empto, vel titulo donationis possessio perceptos ad ipsum pertinere ratione curæ & industriæ in ejus cultura impensæ; & consequenter verum fundi dominum, si innotescat, non posse ab hoc possessore exigere restitutionem fructuum consumptorum: *De fructibus ab eo consumptis agere non potest*. Ex quo inferendum est, quod, si hic possessor habeat fructus necdum consumptos, illos teneatur restituere: nam, cum Imperator lege hac solum exceperit fructus consumptos, tacite innuit, idem non esse de extantibus. *Pontas*.

CASUS X. Bertrandus bona fide per duos annos & dimidium possedit viginti jugera silvæ cædæ una cum stagno ad Barnabam pertinentia, qui convincenter probato jure proprietatis in utriusque possessionem immisus est. Bertrandus autem optima usus œconomia ex hisce possessionibus lucrum sexcentorum florenorum retulit, quibus in proficuum commercium exposito denovo lucratus est ducentos florenos. Teneturne Bertrandus etiam ducentos hosce florenos Barnabæ restituere?

ꝑ. Non tenetur; quia lucrum ducentorum florenorum unice ex illius industria provenit, & non ex fundo possessio; nec potest considerari proprie tanquam fructus sexcentorum florenorum; quia juxta doctrinam S. Thomæ pecunia ex sua natura sterilis est. Id ipsum dicendum foret etiam in casu, quo Bertrandus fuisset possessor malæ fidei. Et hinc non datur obligatio restituendi ducentos florenos. *Pontas*.

CASUS XI. Sempronius nauta ducebat navem pretiosis onustam mercibus ad Nicolaum pertinentibus, quas intererat sacculus impositis adamantibus refertus; & hunc abstulit Sempronius animo sibi retinendi. Accidit autem, ut exorta post biduum violenta tempestate navis periclitaretur, prout & postea submersa est. Hoc in discrimine Sempronius sacculum tenens in undas profiliit; quem autem, ut se ipsum salvaret, dimittere coactus est. Teneturne restituere valorem adamantum?

ꝑ. Cum Sempronius non fuerit causa jacturæ sacculi, qui cum navi periisset, etiam si illum non surripisset, & in navi reliquisset, non tenetur restituere valorem adamantum.

Confirmari potest hæc responsio ex Leg. *Si vehenda*. 10. S. 1. ff. Lib. 14. Tit. 2. *Cum ea conditione navem conduxisti, ut ea merces tua portarentur, easque merces nulla navita necessitate coactus in navem deteriolem, cum id sciret te fieri nolle, transtulit, & merces tuæ cum ea nave perierunt, in qua novissime vestra sunt, habes ex conducto cum priore navita actionem. Imo contra, si modo ea navigatione utraque navis perit, cum id sine dolo & culpa nautarum factum esset. Pontas.*

NOTA. Sempronius poterat & debebat saculum firmare ad parietem aut fundum navis, ut facto naufragio potuisset salvari in tabula fractæ navis, vel per urinatores aut piscatores recuperari. Itaque tenetur ad restitutionem damni ex æquo juxta valorem spei. Certe Sempronius coram Deo gravissimi contra septimum præceptum peccati reus est tam ob actuale furtum, quam ob pravum desiderium usurpandi sibi rem alienam, si non periisset; id quod homines plebeji multoties non advertunt, & si per actuale furtum grave proximo damnum non intulerunt, eo quod invitati ab executione operis, quocumque demum modo, impediti fuerint, prava furandi desideria etiam efficacissima raro consistuntur.

CASUS XII. Marinus per quinquennium mala fide possedit quatuor jugera vineæ jure proprietatis ad Honorium pertinentis. Cum autem vineam hanc pessime cultam reperisset, melioravit eam. Quæritur, an restitutus vineam teneatur restituere omnes fructus post meliorationem perceptos, vel solum eos, quos collegisset, si non fuisset moliorata.

ꝑ. Non solum pro conscientia tutius, sed etiam probabilius dicendum videtur, quod Marinus omnes fructus indiscriminatim teneatur restituere, non obstante melioratione: hæc enim est annexa fundo ad Honorium verum dominum pertinenti, ejusque inseparabilem partem constituit; ad hæc ipse Honorius has meliorationes facere potuisset, & fors magis proficuas. Hæc responsio manifeste eruitur ex Leg. *Domum*. 5. Cod. Lib. 3. Tit. 32. ubi habetur: *Malos fidei possessores, ejus, quod in rem alienam impendunt, non eorum negotium gerentes, quorum res est, nullam habeant repetitionem, nisi necessarios sumptus fecerint. Sin autem utiles, licentia eis permittitur, sine læsione prioris status rei eos auferre. Pontas.*

CASUS XIII. Nebridius mala fide, per dolum scilicet, vim, aut fraudulentam emptionem possidet jugerum agri aut vineæ ad Justinum pertinentis. Elapso triennio constitetur, promittitque confessario restitutionem jugeri, qui cum vellet etiam restitutionem fructuum, quos Justinus per istud triennium percipere potuisset, renuit Nebridus dicens, se fructus non percepisse; eo quod fundum hunc incultum reli-

quisset.

quisset. Eximitne hæc ratio ab obligatione restituendi fructus?

ꝑ. Huic Nebridii excusationi a confessario aquiescendum non est. Generaliter autem, dicitur Leg. *Si navis*. 62 ff. Lib. 6. Tit. 1. *cum de fructibus æstimandis queritur, constat animadverti debere, non an malæ fidei possessor fructurus sit, sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset.* Tenetur igitur Nebridius restituere omnes fructus, quos Justinus deductis expensis percipere potuisset, si fundum in possessione sua habuisset. Attamen diffidendum non est, quod, si certum videatur, Justinum nullo fructuum fuisse emolumento ex ita constituto fundo, Nebridius tantum obligari possit ad restitutionem fructuum perceptorum, quantumvis fuerint exigui, non vero illorum omnium, quos adhibita majori diligentia potuisset colligere. *Pontas.*

NOTA. Cum leges positivæ, præsertim civiles, ibi solum disponant, ubi lex naturalis clara deficit, vel obscura & dubia est, ac proin solum pro foro externo directe ac immediate scriptæ sint; imo defacto vix in ullo regno amplius scrupulose observentur etiam in foro externo, dicendum videtur, nec poenitentes iis ligari ante sententiam judicis. Confessariis autem serviunt directive ad ponendam poenitenti nomine Dei conditionem vel legem pro obtinenda peccatorum venia, attemperatam tamen semper ad latitudinem Christianæ æquitatis & charitatis. Notam hanc per decursum totius hujus articuli præ oculis habendam esse censeo.

CASUS XIV. Guiraudus parochus senio jam confectus pure ac simpliciter renunciavit parochiæ suæ, & successorum habuit Fulcrandum ab Episcopo provisum. Guiraudus in eadem parochia remanens non solum animos parochianorum a Fulcrando avertit, sed etiam præfectos ecclesiæ induxit ad intentandam ipsi litem sub falso prætextu, quod solutionem triginta florenorum a curatore ecclesiæ haud diu abhinc mortuo exegerit ac obtinuerit ultra id, quod debebatur ipsi ex fabrica. Unus insuper præfectorum accepit ab illustri matrona triginta florenos hac conditione fabricæ ecclesiæ oblatos, ut a lite desisteretur, & scandalum in parochia tolleretur, quod tamen factum non est. Tenenturne ecclesiæ præfecti & Guiraudus restituere Fulcrando factas in sui defensionem expensas, damnumque ipsi illatum compensare? An etiam præfectus ecclesiæ tenetur matronæ restituere donatos ecclesiæ triginta florenos?

ꝑ. Graviter peccavit Guiraudus suo hoc agendi modo, atpote contrario justitiæ & charitati, & una cum præfectis ecclesiæ in solidum tenetur, ac quivis eorum cæteris non solvem

solventibus obligatur Fulcrando ad restitutionem omnium expensarum, & ad compensationem totius damni illati; quæ tamen obligatio primario incumbit præfectis ecclesiæ; & quidem non impensis fabricæ, sed ex propriis eorum sumptibus facienda est hæc restitutio; non enim justum est, ut ecclesiæ redditus impendantur ad exsatiandas passiones eorum, qui tanquam boni oeconomi eosdem administrare debent eadem sollicitudine, justitia ac fidelitate, qua redditus proprios administrent. Etiam triginta floreni ecclesiæ donati restitui debent a præfecto; quia conditio, sub qua fuerunt donati & accepti, adimpleta non fuit. *Pontas.*

CASUS XV. Jam ante viginti annos Matthæus mutuam Rogerio dedit summam 10000. florenorum, quibus nimirum omnis ipsius res familiaris constabat. Rogerius se obligavit ad solvendum quotannis censum quingentorum florenorum, quos etiam Matthæus singulis annis recepit, minime dubitans, dictam summam se recipere posse; cum & alii spectatæ probitatis viri similem ex mutuo data pecunia sua recipiant censum, ac insuper aliunde non habeat, quo vitam sustentet. Verum cum a suo confessario percepisset, se teneri renunciare toti summæ principali, utpote per viginti annos jam sibi per census annuos solutæ, quærit, an ab ista obligatione non eximatur legitime, cum per hanc renunciationem extremam incurreret paupertatem?

ꝑ. Si in proposito casu Matthæus dictam summam bona fide mutuam dederit, ac annuos census bona quoque fide receperit, & insuper illi ex acceptis censibus nil amplius superfit, ad nullam tenetur restitutionem: nam, ut D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 9. ad 3. loquens de Beneficiato, qui neoficiens nec volens simoniace promotus est ad Beneficium, advertit, hic in conscientia non tenetur restituere fructus bona fide perceptos & consumptos; idque etiam conforme est civili jurisprudentiæ fundatæ in hac juris regula 136. ff. Lib. 50. Tit. 17. *Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.* Dein supposito etiam, quod simpliciter ac in genere loquendo detur obligatio restituendi, Matthæus tamen ab ea sese eximere possit, si v. g. Rogerius hos annuos census ex mera liberalitate persolvisset, ita ut ex arbitrio ipsius steterit eosdem solvere vel non solvere, nulloque ad solutionem metu adactus fuerit, ne Matthæus in defectu annui census ipsam summam principalem sit repetiturus. *Pontas.*

NOTA. Verum quidem est, ex solo titulo mutui non posse exigi censum; potest tamen exigi titulo lucri cessantis, damni emergentis, vel ob periculum fortis, quod per tot annos reipsa esse potuit, etsi nil finistri evenerit. Poterat ea elocatio pecuniæ etiam fieri ex tacita intentione contrahentium, conformiter ad notoriam actis publicis approbatam consuetudinem, per modum contractus censuales, in quo ex bonis mutuatarii frugiferis, vel ex ejus industria, ex parte venditoris redimibiliter emitur, emptione cum contractu societatis mixta, pars reddituum vel frugum. Ex his ergo titulis justitia censuum æstimanda est; non vero indefinite respondendum.

CASUS XVI. Epimachus in negotiis Principis constitutus valde multum lucratus est dando suam pecuniam mutuo pro annuis censibus, minime dubitans, tale commercii genus esse licitum. Daniel filius ejus, qui una cum duobus aliis suis fratribus mortuo patre hæreditatem adiit, valde timet, ne pars honorum hæreditatis suæ a defuncto parente sit acquisita commercio usurario, & hinc ad restitutionem teneatur. Censet tamen, se ab ista obligatione immunem, cum parens census annuos semper bona fide receperit, & tales census sint bona mobilia, quorum proprietas possessione triennali præscribi possit; ac insuper pater multos legitimos, ac licitos census acceperit, & impossibile denique sit scire, quot personis, & quantum pecuniæ a patre mutuo datum sit.

ꝑ. Cum perdifficile sit scire, an Daniel revera teneatur restituere quidquam, tutius & consultius erit, si Daniel tantum ex bonis hæreditatis sibi retineat, quantum ad sustentationem vitæ necessarium habet; reliquum vero, quod superest, erroget pauperibus ea intentione, ut satisfaciat obligationi restituendi, qua forsitan coram Deo obstrictus est. *Pontas.*

NOTA. Cum ex Nota præcedentis Casus 15. constet, varios justos titulos accipiendi census dari posse, non tenetur hæres examinare, quo titulo parentes census acceperint, vel utrum bona fide præscriperint; nisi in casu particulari moraliter constet de contrario. Aliter discurrendum circa bona immobilia necdum præscripta tempore immemoriali cum præsumptione justitiam tituli; circa mobilia enim necdum certo præscripta etiam hæres tenetur habere fidem positive bonam.

CASUS XVII. Pedemontii communis & generalis consuetudo ab ipsis etiam iudicibus approbata viget, ut tres floreni pro centum mutuo datis accipiantur, & hæc consuetudo immemorialis est. Amadeus, civis Augustæ Taurinorum, qui hucusque bona fide juxta consuetudinem Pedemontanam pro mutuo data pecunia censum hunc annum accepit,

a quodam Doctore percepit, tales census esse usurarios; hinc confessario suo promittit, se a tali usurario commercio deinceps desituro. Confessarius Amadeum absolvit a peccatis suis & a restitutione censuum receptorum. An confessarius illum ab obligatione restitutionis absolvere potuit?

R. Juxta *S. Beuve tom. 2. cas. 131. pag. 442.* confessarius in proposito casu Amadeum absolvere potuit a restitutione; quia dictos census annuos recipere consuetudine introductum est in ista provincia. Tutius tamen egisset, si illum obligasset, ut restitueret id, quod bona fide non consumpsit. *Pontas.*

NOTA. Si consuetudo generalis excusat Pedemontanos accipientes tres pro centum, eadem consuetudo excusare Germanos poterit recipientes quinque pro centum. Ibi a Tribunalibus tolerantur tria; quia lucrum ordinarium annuum ex centum non superat tria, apud Germanos autem quinque. Verum Deus non præsumptos, sed veros titulos *lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi fortis* &c. quærit.

CASUS XVIII. Isabella viro cuidam desponsata a patre in dotem acceperat 1500. florenos. Cum autem percepisset, partem bonorum a patre suo commercio usurario fuisse comparatam; idque vel certo sciret, vel solum ea de re dubitaret, quæritur 1. An non nisi dubia teneatur indagare in veritatem rei. 2. An, si de hoc sit certa, teneatur restituere dictos 1500. florenos, posito quod possit, & pater non restituat. 3. Num maritum bonorum communium administratorem eapropter monere teneatur, ut in restitutionem consentiat, vel eo renuente in testamento suo cavere debeat, ut fiat restitutio. 4. Denique an Isabella ad aliquam restitutionem obligari possit, si primum post constitutam & persolutam dotem bona sua pater per commercium usurarium acquisisset.

R. *Ad 1.* Si Isabella solum dubitet de legitimitate bonorum paternorum, non tenetur in rei veritatem indagare; maxime si dubium non sit solide fundatum. *Ad 2.* Si Isabella certo constat, partem bonorum paternorum iniquis lucris fuisse corrasam, nullamque ab eo factam esse restitutionem, non tenetur post obitum patris ad aliam restitutionem, nisi in quantum consuetudo loci exigit, ut cum reliquis cohæredibus succedat etiam in onera ac debita patris, & pro rata acceptæ dotis. *Ad 3.* Supposito quod obligetur ad restitutionem, non potest id exequi, nisi post mortem mariti, si ille non consentiat; vel potest in testamento suo provide-
re, ut fiat restitutio. *Ad 4.* Si dos a patre constituta est
ante

ante usurariam acquisitionem bonorum, ad nullam prorsus tenetur restitutionem: attamen ad hæreditatem defuncti patris admittenda teneretur restituere male parta pro ratione portionis suæ. *Pontas.*

NOTA. Si etiam constaret, patrem fuisse publicum usurarium, dubitari tamen vix posset, multas pecunias ab eo acquisitas fuisse titulo justo ac legitimo, v. g. per contractum censualem, in quo revera intercessit periculum fortis, vel titulo emptionis, legati &c. Cum ergo possessor per confusionem bonorum fiat eorundem dominus, valide disponit.

CASUS XIX. Elpidius & Mævius acquisiverunt hæreditatem patris sui, qui Principis negotiis præfectus, & per decennium cambio addictus e vita migravit relicta fama, quod commercio usurario multa bona corraserit. Possuntne frui tota hæreditate paterna, quin teneantur in conscientia partem hæreditatis erogare in pauperes per modum restitutionis, cum notitiam non habeant eorum; quibus pater fors damnium aliquod intulit?

R. Quamvis Elpidius & Mævius teneantur erogare eleemosynas de superfluis, non tamen obligantur, nisi in casu extremæ aut valde urgentis necessitatis, elargiri eleemosynam de sibi necessariis præcise ob eam rationem, quod ipsorum pater Principis negotiis præfectus & cambio addictus fuerit; cum ejusmodi officia absque injustitiæ nota & absque usurario commercio administrari possint. Multo minus ad restitutionem tenerentur, si ipsorum pater notabilia legata in pauperum favorem reliquerit. *Pontas.*

CASUS XX. Cassius maritus Michelinæ filiæ Cræsi divitis campforis nonnullis abhinc annis certo comperit, patrem uxoris suæ quondam præfuisse teloniis regis, ac per usurarium commercium & aliis injustis modis sua multa, quæ habet, comparasse bona. Jam quæritur, an Cassius, cui uxor 4500. florenos in dotem attulit, teneatur restituere quidquam de dote ista, utpote parte bonorum injuste a Cræso acquisitorum.

R. Juxta *S. Beuve tom. 3. casu 252.* non tenetur Cassius restituere censum annuum ex dote uxoris suæ acceptum, aut partem summæ principalis bona fide consumptam; tenetur tamen ipsam, quam adhuc in manibus habet, summam principalem, & census restituere, quos percepturus est, aut jam percepit ab eo tempore, quo bona ipsius fides cessavit. Si autem nesciat, quibus restituendum sit, injuste parta convertenda sunt in eleemosynas pauperum, supposito consensu
uxo-

uxoris: hæc enim ni consentiat, æquum non est, ut maritus propria autoritate restitutionem faciat; quia ipsi non competit jus libere disponendi de bonis dotalibus uxoris, ea invita. Ad hæc id fieri non posset sine evidenti periculo bina vice eandem faciendi restitutionem: defuncta enim conjuge adhuc superstes compelleretur 4500. florenos reddere hæredibus defunctæ. Sufficit itaque Cassio, ut repudiata hac dote omnem Michelinæ curam relinquat satisfaciendi obligationi conscientiæ suæ. *Pontas.*

CASUS XXI. Catharina mortuo suo marito certo compererat, eum comparasse 1000. florenos commercio usurario, illosque non fuisse restitutos. An tenetur ipsa eos restituere?

R. Si Catharina post obitum mariti sui communioni bonorum renunciarit, ac suis propriis bonis contenta sit, non tenetur ad ullam restitutionem. Si vero præter suam dotem bona mariti, aut eorum partem possideat, tenetur ad restitutionem juxta proportionem male acquisitorum. Idem dicendum, si vivente marito ex usuris ejusdem commodum tulit. *Pontas.*

CASUS XXII. Hermelaus mercator inter alia bona sua possidet summam 1000. Imperialium mutuis usurariis acquiretorum, nec ad restitutionem induci potest. Potestne uxor dictam summam restituere marito infcio, aut etiam invito?

R. Licet author opusculi 73. de Usuris, quod inter opuscula D. Thomæ reperitur. cap. 16. censeat, uxorem posse restituere infcio, non autem invito marito, id tamen in præsentis casu haud permittendum videtur; quia facta ab uxore restitutio profus nihil conduceret ad salutem mariti, quamdiu is animum retinet non restituendi. *Pontas.*

CASUS XXIII. Thieboldus collatis cum Leandro rationibus reperiebat, se illi debere centum florenos, quos cum solvere non posset, Aristarchus amborum amicus, utrumque sibi obligaturus, offert Thieboldo dictam summam, quam hic ocysus Leandro tradidit. Paulo post autem moritur Thieboldus, qui solvendo non erat. An jam Leander in conscientia tenetur Aristarcho restituere prælatos centum florenos?

R. Qui mutuum dat pecuniam, transfert dominium ejusdem in mutuatarium, qui fit verus dominus mutuo acceptæ pecuniæ. Hinc Leander non tenetur ad ullam restitutionem; imo Aristarchus nec in foro externo eum desuper convenire potest. *Pontas.*

GA-

CASUS XXIV. Ildephonso mutuos dedit Theophilus centum Imperiales ad annum, eosque elapso termino instantanter repetit ad faciendum lucrum suo in commercio. Theophilus vero, licet solvendo esset, non tamen restituit, eo quod ipsemet sua in negotiatione per hanc summam quidpiam lucrari intenderet, eamque contra omnem justitiam & mala fide ultra triennium retinet, certus, Ildephonso tantum animi non esse, ut sibi eapropter litem moveret. An in foro interno tenetur Theophilus restituere lucrum duobus post lapsum termini annis ex hæc summa comparatum?

R. Non tenetur Ildephonso totum omnino lucrum restituere, quod sibi comparare potuisset suo ex commercio, si dictam summam ad manum habuisset, sed solum tantum lucri, quantum alias ex ejusmodi summa percipi consuevit in exercita negotiatione, idque habita ratione laboris impensæ ac industræ, impensarum faciendarum, & denique periculorum ac infortuniorum, quæ in hujusmodi commercio facile accidere possunt. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2. ad 4. *Pontas.*

NOTA. Cum mutuum sit contractus bonæ fidei, videtur, Theophilum obligari ad compensandum Ildephonso totum lucrum cessans, ordinarium ac moraliter certum, iquo ipsum privavit ob moram solutionis.

CASUS XXV. Maximinus tradidit Joanni amico suo centum Imperiales ad Hubertum deferendos, a quo eos mutuos acceperat. Joannes autem in via a latronibus hisce pecuniis spoliatus est. An Maximinus hanc casu fortuito ablatam latroni summam Huberto refarcire tenetur?

R. Amplissimum discrimen est inter restitutionem aut debitum, ad quod quis tenetur ex contractu, dum agitur de re restituenda in specie, & inter obligationem restituendi rem eandem in individuo: dum enim contractus ex sua natura non exigit, ut ipsum individuum reddatur, sed solum species, ut contingit in mutuo, in quo debitor non tenetur reddere eosdem nummos in individuo, quos commodatos accepit, sed tantum summam ejusdem valoris, nunquam liberatur quis ab obligatione restituendi aut solvendi debitum, nisi creditor, aut ex ejusdem commissione alius actu receperit summam mutuo datam. Ex quo sequitur, in præsentis casu Maximinum teneri de casu fortuito, quo centum Imperiales perierunt, & obligari in conscientia ad alios centum Imperiales Huberto numerandos. *Pontas.*

Dist. Cas. Consc. Tom. III.

R

CA-

CASUS XXVI. Theodatus & Flavianus factō inventario Julii patris sui defuncti hæredes declarati jam solverunt creditoribus 3500. florenos, licet tota hæreditatis portio tantum 3000. florenos constitueret; intelligunt insuper ex inventario, 500. florenos a patre ex mutuis usurariis fuisse comparatos, quos, cum essent opulentissimi, facile restituere possent. Tenenturne sub ratione hæredum restituere hanc summam?

ꝑ. Si quis successione acceptat beneficio inventarii, non tenetur ad solutionem debitorum, nisi quousque se extendit portio hæreditaria. Hinc Theodatus & Flavianus, licet aliunde opulenti sint, non tenentur dictos 500. florenos restituere; cum creditoribus patris jam solverint summam ipsa portione hæreditatis majorem. Ex eadem ratione idem dicendum, si bona defuncti publica auctoritate vendita non sufficerent ad expungenda omnia debita; quo in casu hæredes isti obligari non possent ad residuum debitorum expungendum. *Pontas.*

CASUS XXVII. Clara parentibus orbata, a quibus jure hæreditario 4000. florenos acceperat, religionem ingredi cogit; sed cum sciret, partem hæreditatis provenire ex lucro usurario, a patre suo fors bona fide comparato, dubitat, an in conscientia teneatur restituere alleverantibus, a se patrem has exegisse usuras; vel an totam hanc summam monasterio inferre possit, quin indagare debeat, qua ratione pater bona hæc acquisierit.

ꝑ. Si dubium Claræ de injusta acquisitione bonorum sit bene fundatum, omni studio tenetur indagare veritatem rei; &, si certo innotescat, patrem a quibusdam exegisse census usurarios, tenetur iisdem restituere, nec salva conscientia bona hæc in monasterium transferre possit, quod ingredi cogitat. Ex solo testimonio eorum, qui a patre se defraudatos queruntur, si de bona fide ipsorum non sit plene convicta, ad nullam tenetur restitutionem. Denique, etsi certa esset, partem bonorum injuste fuisse acquisitam, nesciret tamen, quibusnam debeatur restitutio, possit omnia bona paternam donare monasterio; quia sic impenderet in opus verum, id quod juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. ad deonerandam illius conscientiam satis est. *Pontas.*

NOTA. Clara solum obliganda est ad restitutionem, si certa sit usuria patris acquisitio; non autem si duntaxat prudenter de ea dubitet, nec dubium hoc possit tolli per certitudinem.

CA-

CASUS XXVIII. Amandus tutor Antonii ex pecuniis pupilli mutuo datis modo usurario eidem lucratus est 150. florenos. Potestne ex his ipsis pecuniis restituere injuste acquisita? An vero sufficit, si pupillum ea de re moneat, dum eidem de tutela sua rationem reddit?

ꝑ. Tenetur Amandus ex ære proprio restituere injustas usuras: debuisset enim pecuniam pupilli ita collocare, ut legitime fructificet. Dum igitur obligationi huic non satisfecerit, tenetur ipse non solum pupillo compensare damnum, sed & dictas usuras restituere. *Pontas.*

CASUS XXIX. Petrus in urgenti necessitate mutuam a Matthæo accipit summam 1000. florenorum ad tres annos cum promissione solvendi decem pro centum. Exacto triennio Matthæus obligatur a confessario, ut restituat injuste accepta pauperibus, non Petro, utpote merito privando restitutione usurarum, quas solvere nunquam debuisset. An juste egit confessarius?

ꝑ. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 62. art. 3. ad 2. restitutio facienda est Petro: solum enim ille, qui solvendo peccavit contra legem prohibentem, meretur privari solutis; nulla autem lex, nec divina nec humana inhibebat Petro solvere census usurarium in urgenti necessitate. Addi potest in favorem Petri, quod, etsi libere Matthæo usuras solverit, non tamen absolute renunciasset censetur proprietati eorum, quæ solvit; quia solutio non fuit facta absque omni repugnantia, & cum omnimoda libertate, sed intervenit involuntarium mixtum, ut loquuntur Theologi. *Pontas.*

CASUS XXX. Falcidius mutuos accepit a Quintino ducentos florenos, & in affectionem debiti tradidit ei horologium aureum & monile margaritis distinctum. Post aliquot menses domus Quintini conflagravit; quo in incendio etiam horologium & monile perierunt, aut a furibus ablata fuerunt. An jactura hujus pignoris ferenda Quintino?

ꝑ. Jactura pignoris ex casu mere fortuito ferenda est Falcidio, quem traditio pignoris non privavit ejusdem proprietate. Si vero damnum evenisset ex dolo vel culpa lata aut levi Quintini, hic quoque ferre jacturam deberet, non tamen ex culpa levissima. Ratio, quam Instit. Lib. 3. Tit. 15. §. 4. Imperator Justinianus allegat, est, quia in omnibus contractibus utrique parti favorabilibus non præstatur culpa levissima, sicut nec casus pure fortuitus, sed tantum dolus & culpa lata ac levis: contractus autem pignoratitius utrique parti est favorabilis; creditori quidem, cui dato pignore magis

R 2

affe.